INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXIII A DIE XIII APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAEMISSA EST LUD. GERKRATH

DE CONNEXIONE, QUAE INTERCEDIT INTER CARTESIUM ET PASCALIUM,

COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. LAURENTIUS FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Nemini nostrum, commilitones humanissimi, dubium est, quin quisque inter homines, quamvis emineat insiti ingenii vi atque magnitudine, cum iis, qui aut cum eo aut ante eum vixerunt, seu arctiori seu solutiori vinculo sit conjunctus. Manifestum enim est, neminem per se ipsum solum posse animi facultates excolere; omnes indigent auxilio aliorum hominum, quorum verbis vel scriptis propria ipsorum animi vis excitatur. Quid igitur mirabimur, quod etiam connexionem quandam inter se habent qui rerum inquisitioni summo amore se dederunt scientiasque novis cogitationibus novisque inventis locupletarunt? Ab iis, qui prioribus saeculis vixerunt, vim exerceri animadvertimus in posteros; hi consentiunt cum illis aut ab iis dissentiunt; ubique vestigia invenimus, quibus prioris temporis scientiarum conditio apparet. Quis autem dubitabit, quin multo perfectior existat cujuscunque viri imago, si hanc ipsam rationem, quam habet cum iis, qui ante eum scientias excolere adnitebantur, indagare atque describere studemus? Quis non intelligit, tum demum vere ejus cogitationes explicari atque comprehendi, tum demum, ut ita dicam, ad vivum eum depingi, quum nobis contigit, ut illam connexionem exploremus atque proponamus? Nos quidem semper valde juvit ejusmodi disquisitiones instituere.

His paucis verbis praemissis, jam rem indicare aggredimur, quam hac nostra commentatione vobis, commilitones, proponere nobis in animo est. Jam per aliquod tempus praecipue studiis, quae pertinent ad recentioris philosophiae historiam, occupati, inter tot tantosque viros, qui illa aetate floruerunt, etiam Pascalium invenimus, cujus cogitationes tanto magis nobis diligenter considerandas esse judicavimus, quum plerique ex iis, qui de philosophia recentiori scripserunt, eas nimis negligere nobis viderentur. Perlegentes autem atque scrutantes Pascalii scripta facile animadvertimus, etiam hunc virum clarissimum connexionem quandam habere cum aliis, qui ante eum, quae sit ratio rerum, diligenter indagare contenderant. Multis locis facile vestigia deprehenduntur studiorum, quae eorum, qui ante eum aut cum eo vixerunt, scriptis dicavit; multis locis apparet, quantam vim in ipsius de rebus sententias habuerint quaedam, quae jam ante eum pronuntiatae sunt, cogitationes; multis locis eum rationem habere videmus aliorum cogitationum, quas modo comprobat

modo improbat. Tres autem viri ei, qui, quae sit ratio inter Pascalii nostri cogitationes et illam, quam excultam invenit scientiarum conditionem, accurate exquirere sibi proposuit, prae ceteris respiciendi esse nobis videntur — Cartesius, Montagnius, Epictetus, ex quibus Cartesius cum eo, Montagnius paulo ante eum vixit, Epictetus denique inter scriptores antiquitatis reperitur. Praecipue cum his viris tam diversis inter se ingenio atque indole illum quandam connexionem habere animadvertimus, seu eorum doctrinas comprobando seu improbando seu perficiendo — cum Cartesio, inquam, qui illo tempore, doctrinis, quae in scholis docebantur, rejectis, novam atque firmam scientiam exstruere summa vi studuerat, cum Montagnio, qui, nullam ex cogitationibus nostris certam atque inconcussam inveniens, illo dicto: „que sais-je“ finem disquisitionum fecerat, cum Epicteto, qui, Stoicorum doctrinis addictus, hominum officia exponere honestatisque effigiem describere sibi proposuerat. Peropportune accidit nobis, ut longior sermo ad nos pervenerit, in quo Pascalium illa nova inusitataque ratione illaque eloquentia sublimi, quas non raro in eo admirari nobis licet, cum quodam ex amicis de Epicteto et de Montagnio disserentem invenimus. Quae sit ratio inter ipsum illosque viros perspicue exponit; partim laudat eos, partim eos vituperat; ita rem vertit, ut alterum hanc, alterum illam partem plenae perfectaeque veritatis deprehendisse appareat; eorum cogitationes valde inter se discrepantes pleno veritatis splendore conjungere studet. [1]) De Cartesio non fecit tam longum sermonem Pascalius; pauca tantum verba de illo philosopho nobis relicta sunt, quae partim scriptis suis partim colloquiis cum amicis atque propinquis habitis huc illuc immiscuit. Sed, quamvis breviter tantum de doctrina Cartesiana expressis verbis disserat, tamen ex ipsa cogitationum Pascalianarum natura patet, quantam vim habuerit in eum ille vir; saepius studiorum, quae illi philosophiae dicavit, vestigia detegi possunt, licet expressis verbis ejus rationem non habeat; atque etiam, ubi Pascalius (quod non raro fit) discedit a populari suo eximio, tamen eum esse profectum a studiis Cartesianis haecque esse fundamentum disquisitionum, quas instituit, multis locis facile animadvertere licet. Proposuimus nobis, Montagnio et Epicteto ad tempus praetermissis, nonnulla, quae majoris momenti esse videntur, de connexione, quae intercedit inter Pascalium et Cartesium, proferre, respicientes hac in disquisitione praecipue illa, quae Pascalius expressis verbis de Cartesii doctrinis tulit judicia. Non tantum autem nobis adsumimus, ut hac nostra brevi commentatione illam rem difficilem omnibus partibus absolutam exponamus. Ad rem ipsam autem nunc aggrediamur.

Nemo nostrum ignorat, paucos fuisse viros, qui tantam vim habuerint et in aequales et in posteros quantam Cartesius. Quot viri, quibus non satisfaciebat doctrina, quae in scholis doceri solebat, in illis novis, quas aperuerat Cartesius, viis progressi sunt! Et inter

---

[1]) Locos, quos laudabo, desumam ex editione „cogitationum Pascalianarum,“ quam fecit Carolus Louandrius. (Pensées de Pascal . . . par Charles Louandre. Paris 1854). Illud colloquium est p. 499 hujus editionis.

eos etiam, quos, si totam inquirendi rationem consideramus, tam diversas vias iniisse animadvertimus, ut eos philosophiam Cartesianam excoluisse affirmare minime nobis liceat, paucos invenimus, qui illius philosophiae nullam rationem habuerint neque ullo modo cum ea conjuncti sint. Jam supra memoravimus, in horum virorum numero etiam Pascalium nostrum referendum esse. Nonne igitur jam suspicabimur, eum, quamvis a Cartesio saepenumero dissentiat, tamen hujus eximii philosophi incepti vim atque magnitudinem recte aestimare potuisse? Notum est, jam ante Cartesium apud complures philosophos, inter quos eminet S. Augustinus, inveniri illud clarissimum philosophiae Cartesianae principium: cogito ergo sum. Etiam hoc notum est, jam Cartesii temporibus ex hac re complures ejus adversarios philosopho obtrectandi ejusque metaphysicae pretium atque magnitudinem diminuendi occasionem libenter arripuisse. Pascalius noster aliter de hac re sentit; hunc modum doctrinam Cartesianam dijudicandi atque deprimendi reprobans, simul philosophiae Cartesianae non parvam laudem impertit. Concedit, jam S. Augustinum illud principium: „cogito ergo sum" pronuntiasse; sed tamen non potest non affirmare, Cartesium, etiamsi ex scriptis illius sancti viri hanc sententiam desumpserit, verum esse ejus auctorem. „Scio enim" — ita pergit ipse in illis clarissimis fragmentis, quae ejus amici inscripserunt „pensées" [1]) — „scio, magnum discrimen esse in eo quod sententia quaedam proponitur, longioribus de ea non institutis meditationibus, et in eo quod admirabilis consequentiarum series, qua naturae corporalis et naturae spiritualis differentia demonstratur, ex illa sententia colligitur atque ex ea totius metaphysicae principium firmum inconcussumque fit, quod consequi Cartesius semper moliebatur. Non exquiram, num ad id re vera pervenerit; facio, Cartesio rem processisse; et hoc posito, pro certo affirmo, dictum Cartesianum et idem dictum, quod alii leviter tantum attigerunt atque solo transcursu pronuntiarunt, inter se tam diversa esse quam hominem plenum vi atque vigore et hominem mortuum." Quamvis fortasse hoc loco S. Augustinus nimis parvi aestimetur, certum est, Cartesium non exiguis laudibus efferri; Pascalius nos animadvertere jubet, hunc philosophum, nisum illo celeberrimo principio, metaphysicam novam atque arcte cum eo cohaerentem, qua naturae spiritualis et naturae corporalis differentia demonstretur, exstruendi consilium secutum esse; hujus incepti vim atque magnitudinem agnoscit; Cartesii ingenii metaphysici magna admiratione impletur. Sed patet jam ex illis ipsis verbis, quae memoravimus, Pascalio

---

[1]) pensées p. 533. En vérité, je suis bien éloigné de dire que Descartes n'en soit pas le véritable auteur, quand même il ne l'aurait appris que dans la lecture de ce grand saint (S. Augustin); car je sais combien il y a de différence entre écrire un mot á l'aventure, sans y faire une reflexion plus longue et plus étendue, et apercevoir dans ce mot une suite admirable de conséquences, qui prouve la distinction des natures matérielle et spirituelle, et en faire un principe ferme et soutenu d'une métaphysique entière, comme Descartes a prétendu faire. Car, sans examiner s'il a réussi efficacement dans sa prétention, je suppose qu'il l'ait fait, et c'est dans cette supposition que je dis que ce mot est aussi différent dans ses écrits d'avec le même mot dans les autres que l'ont dit en passant, qu'un homme plein de vie et de force d'avec un homme mort.

nostro philosophiam Cartesianam satisfacere non potuisse. „Non exquiram, inquit, num ad id re vera Cartesius pervenerit; facio, ei rem processisse.“ Nonne jam ex his verbis colligere nobis licet, Pascalium non easdem vias iniisse, quas Cartesius ingressus est? Profecto, quamvis non paucas res inveniamus, quibus idem sentiunt hi viri eximii, etiam multas atque gravissimas deprehendimus, de quibus aliud cogitat Pascalius, aliud Cartesius. Ut autem primum hoc dicam, quia permagni momenti est, ut propriam naturam illorum virorum perspiciamus — facile apparet, aliis rebus Cartesium, aliis Pascalium summo animi amore se dedisse. Sed nos longiorem sermonem de hac re facere oportet.

Constat, Cartesium, qui nonnullarum rerum inquisitionem summo studio amplexus est, de aliis perscrutationem accuratiorem instituere omisisse. In quarum numero referenda est religio revelata. Haud dubium est, quin ille vir religioni christianae firma fide fuerit addictus; agnoscit, religionem christianam esse vere revelationem divinam; non desinit confiteri, se esse hominem christianum atque catholicum. Sed de rebus, quae ad religionem christianam pertinent, accuratius quaerere Cartesius negligit; altiores eas esse quam quae ratione naturali attingi possint, dijudicat. Porro autem scripta Cartesiana intuentes atque perlegentes, facile animadvertemus, praeter has res etiam alias inveniri, quarum inquisitioni, quamquam non prorsus eam omisit, tamen magno amore atque studio neutiquam se dedit ille philosophus — dico eas res, quae ad hominum mores spectant. Raro tantum sua sponte de rebus ethicis verba facit; plerumque quaestionibus, quas alii ei proponunt, impellitur, ut in illarum rerum disquisitionem descendat; in ipsis autem, quas de ethica profert, sententiis fere ubique alios sequitur; nemo denique affirmaverit, eas eminere magna doctrinae altitudine. Ut uno verbo dicam: neque religio christiana neque hominum mores eae sunt res, quas exquirere Cartesius amat; aliae res prae illis eum ad se trahunt. Constat enim inter omnes, quanto quamque immutabili amore Cartesius prae ceteris omnibus rebus naturae studium amplexus sit. Sane intelligit, philosophiae firmum fundamentum in rebus naturalibus poni non posse; incipit a mente disquisitiones suas; transit inde ad deum, cujus existentiam pluribus argumentis stabilire contendit; tum demum ad naturam pervenit. Invenimus igitur hoc loco illam studiorum Cartesianorum partem, quam ipse Pascalius jam supra significavit; profecto campus nobis aperitur, in quem Cartesius magis intravit quam in religionis revelatae atque honestatis regiones. Hominis existentiam spiritualem, differentiam inter naturam spiritualem et naturam corpoream, ideas innatas, dei existentiam, has res atque alias iis affines philosophus noster lumine naturali stabilire contendit. Sed longius non progreditur; in universum tantum res, quae ad hominis spiritum et ad deum pertinent, considerat; prima tantum lineamenta describit. Et si quis existimat, eum illas res metaphysicas summo amore esse prosecutum iisque praecipue se dedere voluisse, magnopere fallitur; naturae regionem Cartesius quam primum attingere studet, ut statim ejus inquisitioni totum se dedat. Ipse in epistola quadam dicit [1]), se quidem credere perquam necessarium

---

[1]) Cart. epist. I, 30.

esse, ut quilibet semel in vita probe conceperit metaphysicae principia, sed se etiam credere, noxium admodum fore, intellectum ad eorum meditationem saepius adjicere, quia imaginationis et sensuum functionibus aeque bene vacare non possit, sed satius esse, ut quispiam sat habeat memoria et fide tenere conclusiones, quas ex illis semel deduxerit et reliquas deinde horas studio destinatas impendat cogitationibus iis, in quibus intellectus cum imaginatione et sensibus agat." Quibus verbis Cartesius nil aliud significare vult quam hoc, praesertim in scientiis mathematicis atque physicis nos versari oportere; adjiciamus igitur naturae indagationi disciplinas mathematicas atque jam hoc loco dicamus (quod mox accuratius explicabimus), inquisitiones, quas Cartesius de rebus naturalibus instituit, cum studiis mathematicis arctissime conjunctas esse. Scientias physicas atque mathematicas excolere Cartesio summae curae est; inquisitiones, quae ad naturam atque ad res mathematicas pertinent, ceteris omnibus anteponit.

Videamus nunc, quae sit Pascalii de hac re sententia. Quantam gloriam et is vir inter multos illos magni ingenii homines, qui ea aetate disciplinas mathematicas atque physicas ad tantum perfectionis fastigium perduxerunt, adeptus sit, tam notum est, ut vix hujus rei hic mentionem facere sit necessarium. Jam prima aetate puerili [1]) insito ingenio ad illa studia impulsus, mox multas magnasque res inveniendo atque detegendo omnium ora in se convertit; quam ob rem non sine jure dicunt, illum virum, si his tantum studiis se dedisset, in numero magnorum illius magni temporis hominum fuisse referendum [2]). Sed multum

---

[1]) Conferantur quae a Pascalii sorore narrantur (pensées de Pascal par Louandre p. 25).

[2]) cf. Steffensii commentatio quae inscribitur: „Pascal und die philosophisch-geschichtliche Bedeutung seiner Ansichten." (Philosophisch-historische Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1837.) „So durch ein eigenes höchst merkwürdiges Talent getrieben," inquit Steffensius p. 180, „durch die geistige Umgebung ermuntert, trat der Jüngling in das fröhlich erregte, auf die Naturforschung hingewandte Geistesleben hinein.... In der That schien die Thätigkeit des Jünglings ganz dieser Richtung zugewandt, und man erlaube uns, was hier nur im Allgemeinen mit unserer Absicht zusammenhängt, Pascals geschichtliche Bedeutung als Mathematiker und Physiker kurz anzudeuten. In der Geschichte der Physik bezeichnet Pascal's Name eine Untersuchung, durch welche Toricelli's große Entdeckung erst fruchtbar wurde.... Er schloß, daß, wenn der Druck der Luft, wie Toricelli vermuthete, die Quecksilbersäule in der Barometerröhre hebe, mit der Abnahme des Drucks in höheren Regionen die Säule sinken müßte. Versuche zuerst im Kleinen in seinem Hause, dann nach seiner Aufforderung im Großen auf dem Gipfel des Montd'or durch seinen Schwager Perier angestellt, entschieden über diese nicht allein für die Physik wichtige Aufgabe.... Er sah auch die Quecksilbersäule durch Verdünnung der Luft, durch Saugen sinken, ein Versuch, der direkter gegen die Hypothese von einem horror vacui gerichtet war. Er gründete auf diese Versuche Werke über die Schwere der Luft und über das Gleichgewicht der Flüssigkeiten, in denen Stevin's hydrostatische Entdeckungen zuerst mit mathematischer Schärfe bestimmt wurden. Wer die große Revolution, die durch die Widerlegung der Hypothese vom horror vacui in der Denkweise der Zeit hervorgerufen wurde, erwägt, der wird, was auch allgemein anerkannt ist, dem Pascal neben dem Kartesius einen bedeutenden Antheil an dieser Umwälzung zuschreiben müssen. Obgleich seine Rechenmaschine keinen Eingang fand und durch die Erfindung der Logarithmen überflüssig wurde, legte sie doch einen Beweis von seinem Tiefsinn ab. La Place in der Vorrede zu seinem Werke über den Wahrscheinlichkeitscalcul nennt Pascal als den eigentlichen Begründer dieser Lehre; und durch die Entwicklung der Funktionen der Cykloide stellte Pascal sich dem berühmten Wallis gleich, wenn er ihn nicht übertraf. Wäre nur diese Richtung seiner geistigen Produktivität bekannt, so würde er schon durch sie zu den ausgezeichneten Geistern einer bedeutenden Zeit gehören."

abest, ut Pascalius noster illo fervido mathematicarum physicarumque scientiarum amore, quem in Cartesio deprehendimus, sit impletus easque tanti aestimaverit quanti ille vir. Imo omnes illas disquisitiones, quibus ipse mirifice eminet, adeo contemnit, ut non operae pretium esse putet, unam tantum horam in eas impendere [1]). Et alio loco illius clarissimi libri, qui inscribitur „pensées," se in eas scientias, quae hominis propriae haberi nequeant, incumbendo longius a conditione humana aberrasse judicat quam illos, qui omnes has res nesciant [2]). Initio enim facto ab inquisitionibus mathematicis atque physicis mox ejus animus in alias res se convertit; tenet eum prae ceteris rebus religio revelata; totum in eam se abdit; eam exquirere atque defendere omnes admirabilis ingenii sui nervos intendit. Ille clarissimus liber, qui inscribitur „pensées" fragmenta tantum continet magni operis, quo Pascalius, religionem christianam esse veram religionem comprobare in animo habebat. In eodem autem libro permultae cogitationes inveniuntur, quae pertinent et ad hominis interiorem statum et ad finem, ad quem in agendo nobis contendendum sit et ad officia, quae nobis praestanda sint; quin Pascalius tota religionis christianae inquisitione praecipue hoc sequi videtur, ut, nitens illa religione, homines doceat rationem, qua vitam rectam agant et aeternam salutem assequantur. Id enim ei persuasum est, primum atque verum hominis studium in eo consistere ut et cognoscat, quid faciendum sit et hanc cognitionem in vita agenda ad effectum adducat; ceteras omnes cognitiones, quae non ad vitam recte instituendam pertinent, minimi tantum pretii esse censet; jam memoravimus, eum de scientiis mathematicis atque physicis, quas, quantiscunque inventis splendeant, tamen in iis tantum rebus versari putat, in quibus vera hominum vita non consistat, valde contemtim judicasse.

Jam perspicue atque perfecte cognoscemus, quantum distent inter se illorum virorum, quos comparare nobis proposuimus, natura et studia. Pascalius, quamvis a studiis mathematicis physicisque fecisset initium, mox toto animo in mores hominum eorumque aeternam salutem conversus, et eo ipso ad religionis christianae disquisitionem commotus, harum rerum perscrutationi summo amore se dedit. Ceteras omnes cognitiones, quas ad hominum vitam atque salutem aeternam non pertinere judicat, parvi facit. In quarum numero etiam refert scientias mathematicas atque physicas. Aliter Cartesius. Ad ipsam enim theoriam natura sua magis inclinare videtur; cognitio non eatenus tantum quatenus ad vitam recte instituendam confert, sed etiam propter se ipsam ab eo quaeritur. Et ex rebus, quae nobis exquirendae offeruntur, illas ipsas negligit, quas Pascalius, ante omnia vitae humanae rectam institutionem atque hominis aeternam salutem agi judicans, prae ceteris summo amore amplectitur, — dico hominum mores atque religionem; neque rebus

---

[1]) pensées p. 393. Et quand cela serait vrai, nous n'estimons pas que toute la philosophie vaille une heure de peine.

[2]) ib. p. 190. J'avais passé longtemps dans l'étude des sciences abstraites; et le peu de communication qu'on en peut avoir m'en avait dégoûté. Quand j'ai commencé l'étude de l'homme, j'ai vu que ces sciences abstraites ne lui sont pas propres, et que je m'égarais plus de ma condition en y pénétrant que les autres en les ignorant.

metaphysicis Cartesium praecipue se dedere voluisse, jam supra diximus. At fervidissimo amore hic vir in res mathematicas atque physicas animum suum convertit; ipsis scientiis, ad has res spectantibus, quas Pascalius parvi aestimat, maxime tenetur Cartesius iisque toto animo se dedit. Tantum distant inter se studia, quae Cartesius et Pascalius prae ceteris magni faciunt!

Persequentes autem inquisitiones nostras ex ipsa hujus commentationis natura facile videmus sequi, ut illarum rerum, quas Cartesius diligentius perscrutari neglexit, non amplius ratio nobis habenda sit. Nobis enim proposuimus connexionem explorare atque exponere, quam habeat Pascalius cum Cartesio. Manifestum igitur est, in eas tantum res, de quibus et hic vir et ille disseruit, nos oculos conjicere oportere. Quo fit, ut cogitationum Pascalianarum non parva pars a nobis omittatur. Tot gravissimas de religionis christianae veritate disquisitiones, tot cogitationes memoratu dignas de interiori hominis statu ac de contradictionibus, quae in eo ubique inveniuntur, illam rationem, qua Pascalius, religione christiana arcessita, ex dubitationibus, in quas inciderat, se expedire studet, has omnes res silentio a nobis praeteriri oportebit; vel si non prorsus eas omittemus, tamen hoc vel illud tantum leviter attingere nobis licebit. Sed jam animum advertamus ad eas res, quae disquisitae ab utroque illorum virorum, connexionem, quam habet Pascalius cum Cartesio, nobis prodere videntur. Nos ipsi, deus, natura corporea, denique scientiae methodus eae sunt res, in quibus praecipue versabimur.

Celeberrimi sunt illi scriptorum Pascalianorum loci, sermonis admirabili sublimitate exornati, in quibus praestantia, qua homo gaudet prae rebus naturalibus, ejusque dignitas in eo ponuntur, ut cogitet, id est, ut sui ipsius conscius sit. Loco quodam homo confertur cum arundine, fragilissima re naturae. Illico autem adjicitur, hanc rem tam fragilem, quae homo appellatur, quum cogitet, potiorem esse natura universa. „Non necessarium est,“ inquit ipse Pascalius [1], „totum universum ad hominem exstinguendum contendere. Aliquo halitu tantum, gutta tantum opus est, ut moriatur. Sed si natura universa eum exstingueret, homo dignior esset quam id quod eum exstinguit; nam homo scit, se mori; universum autem nil scit de illa valde magna potentia, qua hominem superat. Tota igitur dignitas nostra in cogitatione consistit.“ Et alio clarissimo loco hominem miserum etiamnunc magnum esse eo, quod miseriam suam cognoscat, Pascalius contendit. „Arbores,“ inquit [2],

---

[1]) pensées p. 132. L'homme n'est qu'un roseau, le plus faible de la nature, mais c'est un roseau pensant. Il ne faut pas que l'univers entier s'arme pour l'écraser. Une vapeur, une goutte d'eau, suffit pour le tuer. Mais quand l'univers l'écraserait, l'homme serait encore plus noble que ce qui le tue, parce qu'il sait qu'il meurt; et l'avantage que l'univers a sur lui, l'univers n'en sait rien. — Toute notre dignité consiste donc en la pensée (cf. p. 374).

[2]) ib. p. 130. La grandeur de l'homme est grande en ce qu'il se connaît misérable. Un arbre ne se connaît pas misérable. C'est donc être misérable que de se connaître misérable; mais c'est être grand que de connaître qu'on est misérable. Toutes ces misères-là mêmes prouvent sa grandeur. Ce sont misères de grand seigneur, misères d'un roi dépossédé.

„miseriam suam non cognoscunt. Miser igitur homo est, quatenus ipsa miseria id est quod cognoscit; at magnus est, quatenus cognitionem habet suae miseriae. Quae miseriae omnes probant ejus magnitudinem. Miseriae viri illustris sunt, miseriae regis regno privati.“ Quis non intelligit harum cogitationum Pascalianarum cum Cartesii doctrina connexionem? „Tota dignitas nostra, inquit, in cogitatione consistit.“ His verbis vim, quam in eum habuit philosophia Cartesiana, manifesto apparere nemo negabit. Sed pergamus; transeamus ad cogitationes cum iis, quas jam memoravimus, cognatas. Humanae mentis essentiam consistere in cogitatione Pascalius contendit. „Ego, inquit [1]), sum cogitatio.“ Manifestum est, etiam hanc doctrinam cum principiis metaphysicae Cartesianae consentire. „Cogitatio sola a me divelli nequit,“ his verbis Cartesius quodam loco meditationum suarum usus est [2]). Idem sentit Pascalius, dicens, me esse cogitionem meam. Quis non jam suspicabitur, eum etiam persuasum habere, mentem nostram esse naturae immaterialis, materiam cogitationem efficere non posse, mentem igitur cogitantem et materiam vere atque essentialiter esse diversas? „Ex duabus naturis contrariis et diversi generis“ inquit [3]) „sumus compositi, ex anima et corpore. Fieri enim non potest, ut ea pars, quae in nobis cogitat, non sit spiritualis; si quis dicere vellet, materiam se ipsam cognoscere, sententiam proferret, quae nullo modo cogitatione comprehendi potest. Cognoscere non possumus, quo modo materia se ipsam cognoscat.“ Denuo igitur apud Pascalium nostrum easdem doctrinas invenimus, quas stabilire Cartesius admodum adnisus erat. Persuasum est huic philosopho, mentem nostram esse immaterialem, materiam cogitare non posse, mentem cogitantem et materiam vere atque essentialiter diversas esse; easdem sententias profert Pascalius. Paucis verbis complectimur illas de mente humana doctrinas, quibus connexionem, quam habet Pascalius cum Cartesio, facile animadvertimus. Praestantia, qua homo gaudet prae rebus naturalibus ejusque dignitas in eo consistunt, ut cogitet; humanae mentis essentia in cogitatione consistit; naturae immaterialis est mens humana; materia cogitare nequit; mens humana et materia sunt naturae contrariae atque diversi generis, vera atque essentialis est inter eas differentia; has omnes metaphysicae Cartesianae de mente humana doctrinas Pascalius comprobat, his omnibus vis, quam in eum exercuit philosophiae Cartesianae studium, manifesto elucet.

Notum est, Cartesium, qui initium disquisitionum metaphysicarum sumit e mente nostra, hinc ad deum progredi, cujus existentiam vario modo probare valde contendit. Hanc igitur rem nunc inspiciamus; videamus, num etiam hujus partis philosophiae Cartesianae vestigia in libris Pascalianis inveniamus, et rationem, quae inter eam et Pascalii nostri placita intercedat, explicemus. Accedentes autem ad has disquisitiones facile animadvertemus, doctrinam, quam Pascalius de deo proposuit, consentientem quidem in nonnullis rebus cum

---

[1]) ib. p. 135. Le moi consiste dans ma pensée.
[2]) medit. II.
[3]) pensées p. 127. cf. etiam p. 309.

Cartesii sententiis, in aliis ab iis valde distare. Attamen etiam his sententiis vis atque studium philosophiae Cartesianae apparent. Fugere enim nos non potest, Pascalium, modum quendam de deo disserendi vituperantem, celato quidem nonnunquam Cartesii nomine, hunc ipsum philosophum praecipue petere ejusque doctrinam pluribus locis maxime respicere.

Sed ad rem ipsam aggredientes primum in sententias illis viris communes oculos conjiciamus, inter quas prae ceteris haec memoratu digna esse nobis videtur. Quicunque vel parum diligenter scripta Pascaliana perlegit, illos locos non praetermittet, quibus eorum auctor, deum a nobis cogitatione comprehendi non posse, verbis disertis exponit. Deus neque partes habet neque fines; ejus igitur ad nos non est ratio; quam ob rem cognoscere non possumus, quid sit; chaos infinitum nos a deo separat; in gloriae demum statu dei naturam cognoscemus [1]). Praetermittendum est nobis ad tempus aliud illud dictum, quod his verbis antecedit: „fide cognoscimus dei existentiam." Ad quod dictum redeundi mox occasio nobis offeretur. Hoc tantum nostro loco dicamus, hominem dei naturam comprehendere non posse, eum cognoscere non posse, quid deus sit; quod hac de causa Pascalius contendit, quia deum, in quo neque partes neque fines sunt, ad nos rationem non habere censet. Videamus autem, quam sententiam hac de re Cartesius proponat. „Est de ratione infiniti, ut a me, qui sum finitus, non comprehendatur" [2]); „inprimis hic dicam, infinitum, qua infinitum est, nullo modo comprehendi" [3]); „deum ab humana mente capi non posse concedo" [4]); haec et alia dicta Cartesiana produnt cognationem, qua Pascalius cum clarissimo populari conjungitur. Sed ille vir his sententiis non acquiescit; cognitionem, quae rationis lumine naturali acquiritur, multo minoris facit quam Cartesius. Hic enim, quamquam dei infiniti naturam nullo modo a nobis comprehendi contendit, tamen nos ejusmodi de deo cognitionem assequi posse judicat, ut, solo lumine naturali adhibito, certitudine firmissima ejus existentiam probare possimus. Et varia argumenta metaphysica profert, quibus dei existentiam extra omnem dubitationem poni persuasum habet. Aliter Pascalius. Ut primum hoc dicam — illa argumenta metaphysica Cartesiana nequaquam firmam persuasionem efficere posse ei videntur; et illico addamus, etiam cetera hujusmodi argumenta ei non satisfacere; hac via ad firmam persuasionem nos pervenire negat; parum tantum ea animum movere arbitratur. „Argumenta de deo metaphysica (haec sunt ipsius Pascalii verba, quae praecipue philosophiae Cartesianae ratione habita dicta esse videntur) tam aliena sunt ab hominum cogitationibus atque tam implicata, ut parvam vim tantum in eorum animos exerceant; ut autem ejusmodi argumentum utile sit nonnullis, id non fit nisi illo momento, quo in hac demonstratione versantur; una hora elapsa timent, ne in errorem inciderint" [5]). Ut paucis igitur dicamus,

---

[1]) pensées p. 228. S'il y a un Dieu, il est infiniment incompréhensible, puisque, n'ayant ni parties ni bornes, il n'a nul rapport à nous: nous sommes donc incapables de connaître ... ce qu'il est ... Il y a un chaos infini qui nous sépare. p. 228. Par la gloire nous connaîtrons sa nature.

[2]) medit. III. p. 21. [3]) resp. I. p. 58. [4]) ib.

[5]) pensées p. 235. Les preuves de Dieu metaphysique sont si éloignées du raisonnement des hommes, et si impliquées, qu'elles frappent peu; et quand cela servirait à quelques-uns, ce ne serait que pendant l'instant qu'ils voient cette démonstration, mais une heure après ils craignent de s'être trompés.

neque philosophiae Cartesianae argumenta metaphysica, quae haec verba praecipue spectare videntur, neque cetera omnia hujusmodi argumenta Pascalium perfecta persuasione implere potuerunt. Sed non solum parvi ea aestimat, quod illam implicatam atque ab hominum cogitationibus alienam argumentandi rationem parum animum movere posse existimat — judicat etiam non omnino firma atque valida esse haec argumenta. Iis solum, qui fidem habeant, hoc modo nos persuadere posse arbitratur; alios, qui fide careant, illis argumentis de dei existentia nequaquam certos reddi [1]). His verbis autem attigimus aliam atque magni momenti doctrinam, qua Pascalius longe distat a Cartesio. Fidem christianam enim ille vir arcessit, ut de dei existentia certus fiat; non solum illa argumenta metaphysica, sed etiam cetera omnia ei non omnino firma atque valida esse videntur; fide demum ad certam de dei existentia cognitionem nos pervenire ei persuasum est. Et omnem de deo certam cognitionem in religione christiana positam esse censet. „Neque existentiam," inquit ipse Pascalius [2]), „neque naturam dei cognoscimus, quia neque extensionem neque fines habet. Sed fide cognoscimus ejus existentiam, in statu gloriae cognoscemus ejus naturam." Et alio loco clarissimo ita scribit: [3]) „Non cognoscimus deum nisi per Jesum Christum. Sine hoc intercessore omnis cum deo conjunctio tollitur; per Jesum Christum cognoscimus deum. Omnes, qui deum cognoscere atque comprobare contenderunt sine Christo, valida argumenta non proposuerunt. Ut autem probemus Christum, habemus prophetarum vaticinia, quae sunt argumenta solida atque manifesta. Et haec vaticinia, quae ipsis factis probata sunt, probant Jesu Christi divinitatem. In eo igitur et per eum cognoscimus deum. Sine libris sacris, sine peccato originali, sine intercessore necessario, promisso atque re vera misso, neque deus probari potest neque doceri possunt verae doctrinae seu theoreticae seu practicae. At per Jesum Christum et in Jesu Christo deus probatur et docentur scientiae theoreticae

---

1) ib. p. 325. J'admire avec quelle hardiesse ces personnes entreprennent de parler de Dieu, en adressant leurs discours aux impies. Leur premier chapitre est de prouver la Divinité par les ouvrages de la nature. Je ne m'étonnerais pas de leur entreprise, s'ils adressaient leurs discours aux fidèles, car il est certain que ceux qui ont la foi vive dans le coeur voient incontinent que tout ce qui et n'est autre chose que l'ouvrage de Dieu qu'ils adorent. Mais pour ceux en qui cette lumière est éteinte, et dans lesquels on a dessein de la faire revivre, ces personnes destituées de foi et de grâce, qui, recherchant de toute leur lumière tout ce qu'ils voient dans la nature qui les peut mener à cette connaissance, ne trouvent qu'obscurité et ténèbres.

2) ib. 228. Mais nous ne connaissons ni l'existence ni la nature de Dieu, parce qu'il na ni étendue ni bornes. Mais par la foi nous connaissons son existence; par la gloire nous connaîtrons sa nature.

3) pensées p. 328. Nous ne connaissons Dieu que par Jésus-Christ. Sans ce médiateur, est ôtée toute communication avec Dieu; par Jésus-Christ, nous connaissons Dieu. Tous ceux qui ont prétendu connaître Dieu et le prouver sans Jésus-Christ, n'avaient que des preuves impuissantes. Mais pour prouver Jésus-Christ, nous avons les prophéties, qui sont des preuves solides et palpables. Et ces prophéties étant accomplies, et prouvées véritables par l'événement, marquent la certitude de ces vérités, et partant la preuve de la divinité de Jésus-Christ. En lui et par lui nous connaissons donc Dieu: Hors de là et sans l'Écriture, sans le péché originel, sans médiateur nécessaire promis et arrivé, on ne peut prouver absolument Dieu, ni enseigner une bonne doctrine ni une bonne morale. Mais par Jésus-Christ et en Jésus-Christ, on prouve Dieu, et on enseigne la morale et la doctrine. Jésus-Christ est donc le véritable Dieu des hommes.

et practicae. Jesus Christus est hominum deus verus.“ Denique autem accedit aliud, quod non minus diligenter nobis animadvertendum est. Dei existentiam seu trinitatem seu animi immortalitatem seu aliam ejusmodi rem non solum ea de causa lumine naturali Pascalius probare non studet, quia in natura nil invenit, quod, fide neglecta, perfectam firmitatem efficere possit, sed etiam inutilem atque sterilem sine Christo esse hanc cognitionem censet [1]. Etiamsi firmior esset cognitio, quam, fide non adjuti, de deo assequimur — hoc certum est, nos, religione christiana non arcessita, ad eam solam dei cognitionem pervenire, quae saluti nostrae inutilis est. Quid confert ad salutem nostram, si persuasum habemus, veritates immateriales atque aeternas esse, quae dependent a prima veritate, quam vocant deum [2], quid juvat illam salutem, si cognoscimus, deum esse veritatum geometricarum et elementorum ordinis auctorem? [3] „Non video,“ inquit ipse Pascalius [4], „nos in salute nostra hac cognitione multum progressos esse.“ Solus deus Christianorum nobis satisfacere potest. Deus Abrahami, deus Isaaci, deus Jacobi, deus Christianorum est deus amoris et consolationis; hic est deus, qui implet animum, quem occupat, deus, qui dat, nos intus sentire miseriam nostram et ejus misericordiam infinitam, qui conjungitur cum intima anima nostra, qui eam replet humilitate, gaudio, fiducia, amore, qui efficit, ut nos eum solum finem nostrum faciamus [5].

Huc usque progressi, illis, quas supra de studiis Pascalio gratissimis instituimus, disquisitionibus, nonnullas considerationes adjungimus, quibus in propria hujus viri natura cognoscenda nos longius processuros esse judico; his cum illis conjunctis considerationibus, spero, nobis ea, quae in Pascalii natura maximi momenti sunt, fore manifesta atque aperta. De quibus rebus disserentes etiam accuratius exponemus quod jam supra contendimus, hoc loco nos denuo invenisse doctrinas, quibus Pascalius admodum distat a Cartesio. Jam supra diximus, illum virum valde teneri revelata religione christiana; ad ejus autem inquisitionem Pascalium praecipue eo commoveri videri, quod, quamvis a studiis mathematicis atque physicis fecisset initium, mox in mores hominum eorumque aeternam salutem animum converterit. Quid autem nunc invenimus? Jam ex illis nostris considerationibus id, quod hoc loco expressis verbis dicemus, conjici potuit atque ibidem a nobis significatum est.

---

[1] ib. p. 236. Et c'est pourquoi je n'entreprendrai pas ici de prouver par des raisons naturelles, ou l'existence de Dieu, ou la Trinité, ou l'immortalité de l'âme, ni aucune des choses de cette nature, non seulement parce que je ne me sentirais pas assez fort pour trouver dans la nature de quoi convaincre des athées endurcis, mais encore parce que cette connaissance, sans Jésus-Christ, est inutile et stérile.

[2] ib. p. 236. Quand un homme serait persuadé que les proportions des nombres sont des vérités immatérielles, éternelles, et dépendantes d'une première vérité en qui elles subsistent, et qu'on appelle Dieu, je ne le trouverais pas beaucoup avancé pour son salut.

[3] ib. p. 326. Le Dieu des chrétiens ne consiste pas en un Dieu simplement auteur des vérités géométriques et de l'ordre des éléments; c'est la part des païens et des épicuriens.

[4] ib. p. 236.

[5] pensées p. 327. Mais le Dieu d'Abraham, le Dieu d'Isaac, le Dieu de Jacob, le Dieu des chrétiens, est un Dieu d'amour et de consolation: c'est un Dieu qui remplit l'âme et le coeur qu'il possède: c'est un Dieu qui leur fait sentir intérieurement leur misère, et sa miséricorde infinie; qui s'unit au fond de leur âme; qui la remplit d'humilité, de joie, de confiance, d'amour; qui les rend incapables d'autre fin que de lui même.

Pascalius, ut deum cognoscat, doctrinam christianam pro fundamento ponit; vetat, nos religionem christianam non curare; in Christo et per Christum deum probandum esse existimat; postulat, ut nos, de deo cogitantes, semper doctrinae christianae rationem habeamus. Hac de causa autem primum id postulat, quod ei persuasum est, homines, solo lumine naturali utentes, fide et divina revelatione non arcessitis, certam atque sufficientem de deo cognitionem assequi non posse. Diffidit humanae facultati; ubique in difficultates atque dubitationes incidit. Ideo ad revelationem divinam confugit; deus, qui revelatione christiana ad nos loquitur, de deo semper audiendus est; hac sola ratione cognitionem de deo certam atque sufficientem assequimur. Et addamus hoc loco, Pascalium non minus postulare, ut homines, de mente cogitantes, eandem viam ingrediantur. „Non solum,“ inquit ipse [1], „non cognoscimus deum nisi per Jesum Christum sed non cognoscimus nos ipsos nisi per Jesum Christum. Sine Christo non scimus, neque quid sit vita nostra neque quid sit mors nostra neque quid deus neque quid nos ipsi. Sine libris sacris igitur, qui solo Christo occupantur, nos nihil cognoscimus neque aliud invenimus in natura dei et in natura nostra quam obscuritatem atque confusionem.“ Eodem hoc loco igitur aliud insuper adjungatur, quod ex verbis praemissis sequitur; facile ex iis conjicimus, Pascalium nostrum acquiescere non posse in illis de homine cogitationibus, quas supra exhibuimus, neque etiam, si sibi constans est, illas sententias prorsus firmas esse sine fide concedere ei licere. Existimat enim, doctrinae christianae semper ratione habita, et deum et nos ipsos considerandos esse; hoc solo modo de utraque re cognitionem certam atque sufficientem a nobis acquiri posse judicat. Quantum autem his sententiis Pascalius discedat a Cartesio jam manifestum est. Cartesius, accedens ad rerum perscrutationem, revelationem divinam omittit et solo lumine naturali uti vult; Pascalius, de deo et de homine cogitans, doctrinam christianam supranaturalem pro fundamento ponit; Cartesius, illud lumen naturale sequendo, se certas atque inconcussas de his rebus cognitiones esse assecutum existimat; Pascalius, se sine fide ubique in difficultates atque dubitationes incidere, deprehendit; Cartesius acquiescit paucis atque theoreticis de deo et de homine cognitionibus, quas lumine naturali invenit; Pascalius longius progreditur; plura de deo et de homine cognoscere vult, inter quae prae ceteris ea quae ad hominum mores atque salutem pertinent. Tantum inter se discrepant Pascalius et Cartesius! Et nunc etiam illam alteram rationem repetamus, qua commotus Pascalius, revelatione christiana omissa, de deo nobis non esse cogitandum censet. Per Christum solum ad deum nobis eundum est, quia quilibet alius deus, qui solo lumine naturali cognoscitur, salutem nostram, quam consequi prae ceteris omnibus rebus plurimum interest, adjuvare non potest. Quis autem, qui omnia, quae jam diximus, apud se expendit,

[1] pensées p. 329. cf. Nisardii verba, quae in editione Louandrii inveniuntur p. 374. „C'est dans la solitude de Portroyal . . . que Pascal concentra toutes ses pensées sur ce sujet vivant, sur l'homme . . . non pas l'homme, selon Descartes, qui se contente de savoir, qu'il y a un dieu et qu'il existe une âme distincte du corps et qui s'arrange dans le monde de façon à y vivre le plus agréablement et le plus temps possible; mais l'homme tel que le christianisme l'a expliqué.“

dubitabit, quin Cartesius etiam ab hujusmodi cogitationibus longe sit remotus? Quis non videt, Cartesium, aggredientem ad dei cognitionem, non omnia ad hominum vitam recte agendam atque ad salutem consequendam referre?

Quibus rebus expositis, disquisitiones nostras de ratione, quam habent Pascalii cogitationes cum Cartesii de deo doctrina, ad finem perduximus. Primum ad nos ipsos, deinde ad deum animum advertimus; in res materiales nunc oculos conjiciamus.

Cartesius contenderat, corporis naturam in sola extensione consistere. Quid inde sequitur? Nil aliud quam quod ipse docuit, omnem naturae varietatem ex diversis tantum figuris atque motibus, quos dicunt mechanicos, deducendam esse. Ut uno verbo dicam, mathematico tantum et plane mechanico modo res naturales a Cartesio considerantur. Eandem de rerum materialium natura earumque explicatione sententiam, quam Cartesius proposuerat, Pascalius protulit — eandem, inquam, quam philosophorum ea aetate viventium maxima pars sequebatur. Totum mundum corporeum magnum quoddam machinamentum esse persuasum habet, in quo omnia diversis extensionis figuris et diversis motibus mechanicis efficiantur; neque sentiendi neque se ipsa movendi vis corporibus adjudicari potest [1]). Sed hac in re consentientes, in aliis rebus, etiam in doctrinis ad res corporeas pertinentibus, dissentientes videmus illos viros eximios. Jam de pretio valde diverso, quod Cartesius et Pascalius rerum naturalium disquisitionibus constituunt, verba fecimus. Sed non solum in hac diversa scientiarum physicarum aestimatione Pascalii cogitationes a Cartesii sententiis diversae sunt — etiam in aliis rebus, quae arcte cum illis, quas jam supra exposuimus, cogitationibus cohaerent, hos viros nequaquam inter se consentire animadvertimus. Et expressis quidem verbis Pascalium, ubi illas res exponit, doctrinae Cartesianae rationem habere invenimus.

Non minus quam Cartesius Pascalius judicat, omnia in illo magno naturae machinamento diversis extensionis figuris et diversis motibus mechanicis effici. Sed longius quam homini concedi potest in naturae explicatione Cartesius progredi Pascalio videtur; nimis altas res appetere Pascalius dissuadet. Hoc tantum dicendum esse putat, naturae phaenomena figura atque motu effici; sed explorare velle, quae sint illae figurae et qui sint illi motus, atque hoc modo singulas naturae partes accurate velle exquirere, res incerta atque ridicula esse ei videtur [2]). Quis igitur mirabitur, quod etiam temerarias illas opiniones, quas Cartesius de

---

[1]) pensées p. 393. p. 237. Steffensius in illa commentatione, quam jam citavimus, de hac re ita scribit (p. 196): „Aber eine Eigenthümlichkeit theilt Pascal mit allen Philosophen des 17. Jahrh. Sie äußert sich in einer entschiedenen Starrheit und Ungelenkigkeit aller Naturansichten: und man fühlt sich um so mehr gedrungen den Grund dieser Eigenthümlichkeit aufzusuchen, da die Naturansichten einen größeren Einfluß auf die philosophische Darstellung ausübten als in früheren Zeiten. Dieses liegt aber in der mechanischen Auffassungsweise der Natur, die durch die Richtung, in welcher die Naturwissenschaft sich in diesem Jahrhunderte ausbildete, veranlaßt wurde und die alle philosophischen Methoden beherrschte."

[2]) pensées p. 393. Il faut dire en gros: Cela se fait par figure et mouvement, car cela est vrai. Mais de dire quels, et composer la machine, cela est ridicule; car cela est inutile, et incertain, et pénible.

rebus naturalibus saepius proposuerat, comprobare nequit? Quamvis de summis naturae principiis cum Cartesio consentiat, tamen non paucas opiniones temerarias atque incertas, ad quas Cartesium nimis magno omnia in natura explicandi desiderio abripi putat, rejiciendas esse censet [1]).

Denique autem praeter hoc aliud discrimen nobis animadvertendum est, quod, quum non minus cum Pascalii natura, de qua supra disseruimus, cohaereat, permagni momenti et memoratu dignum esse mihi videtur. Jam compluribus locis summorum physicae Cartesianae principiorum mentionem fecimus; nihil aliud quam diversas extensionis figuras et motus mechanicos, ut varia naturae phaenomena explicet, admittit. Quid inde sequitur, si quaeritur, quae sit prima motuum causa? Quum solos motus mechanicos Cartesius agnoscat, ei contendendum est, corpora se ipsa movere non posse, sed, ut moveantur, causam externam esse necessariam. Corpus quoddam aliud corpus movet, illud alio movetur; hoc modo corpora moventia aliis moventur. Sed ubi invenimus primam causam moventem? Haec in corporum serie esse non potest, quum corpora se ipsa non moveant. Excedit igitur philosophus noster res corporeas; solus deus is est, qui prima motus causa haberi potest. At, ut rerum singularium formationem explicet, non amplius deum Cartesius arcessit neque ejus auxilio utitur, sed eo modo loquitur, ac si ipsa sola naturae vi totius mundi formatio efficiatur. Ut uno verbo dicam, res naturales modo tantum naturali a Cartesio considerari videntur. Aliam igitur rem jam invenimus, in qua Pascalius et Cartesius inter se discrepant. Traditum nobis est, totam, qua hic vir mundi formationem explicabat, rationem Pascalio nostro valde displicuisse acerbisque verbis ab eo esse improbatam. „Cartesio ignoscere non possum,“ solebat dicere [2]); „in rerum formatione explicanda dei opem omnino negligere voluit; attamen non potuit ei non concedere, ut ita dicam, talitrum (chiquenaude), quo mundo motum det; qua re concessa posthac nescit, quid ei deo sit faciendum.“ Nemo non videt, cum intima Pascalii nostri natura illud, quod de Cartesio fecit judicium, arcte cohaerere. Annon facile intelligemus, eum, qui illo modo, quo Pascalius, in deum atque in res, ad religionem christianam spectantes, conversus erat, probare non potuisse illam rationem Cartesii, qui in disquisitionibus de rerum formatione institutis deo ejusque auxilio non amplius utebatur omniaque sola naturae vi explicare velle videbatur? Cartesius, scientias ad naturam pertinentes maximo amore amplectens, facile eo pervenire potuit, ut in rerum formationis perscrutatione dei adjumenti rationem habere nimis negligeret; Pascalius, toto animo disquisitionibus, quae ad deum religionemque

---

[1]) cf. quae dixit Pascalii sororis filia p. 237. Il était de son sentiment sur l'automate et n'en était point sur la matière subtile.

[2]) Pascalii sororis filia haec verba nobis tradidit (cf. pensées p. 237). Mais il ne pouvait souffrir sa manière d'expliquer la formation de toutes choses, et il disait très souvent: Je ne puis pardonner à Descartes; il voudrait bien, dans toute sa philosophie, se pouvoir passer de Dieu; mais il n'a pu s'empêcher de lui accorder une chiquenaude pour mettre le monde en mouvement; après cela il n'a plus que faire de Dieu.

spectant, deditus, ei, qui naturam investigat, magis quam Cartesio placuit, deum arcessendum esse judicat.

Disquisitiones nostras hucusque prosecuti, paucis complectamur et illas de rebus corporeis doctrinas, in quibus consentiunt, et illas, in quibus dissentiunt Pascalius et Cartesius. Tota corporum universitas magnum quoddam machinamentum est, in quo omnia diversis extensionis figuris diversisque motibus mechanicis efficiuntur, neque sentiendi neque se ipsa movendi vis in corporibus inest — hac in re Pascalius Cartesii atque longe plurimorum illius aetatis philosophorum sententiam sequitur. Sed primum maxime eo in diversa abeunt quod ille, in res, ad religionem christianam et hominum mores pertinentes, fervido animi amore conversus, scientias physicas, quas Cartesius summo studio amplexus erat atque ceteris omnibus inquisitionibus anteposuerat, minimi tantum pretii esse censet, quamquam et ipse permagna eas excolendi facultate eminet. Praeter hanc autem etiam alias res invenimus, quibus discedit Pascalius a Cartesio. Primum enim in ipsis inquisitionibus de natura institutis nimis longe hic vir ei progredi videtur; insuper etiam non paucas opiniones temerarias atque incertas, ad quas Cartesium nimis magno naturam explicandi studio induci judicat, rejicit; denique, quum toto animo in deum religionemque conversus esset, graviter vituperandam esse censet illam rationem Cartesii, qui, deo motus auctore facto, porro sola naturae vi omnia explicare videatur atque deum ejusque auxilium nimis negligat.

Comparavimus inter se nonnullas non parvi momenti sententias, quas Cartesius et Pascalius de rebus corporeis proposuerunt, atque, in quibus consentiant et in quibus dissentiant, ostendimus. Etiam his disquisitionibus manifesto apparuit, Pascalium vario modo conjungi cum Cartesio; ubique vestigia studiorum Cartesianorum in placitis illius viri reperiuntur. Restat, ut denique ad illam aliam rem transeam, quam, ubi rationem commentationis meae feci, jam significavi — dico doctrinas, quas de methodo scientiarum hi viri clarissimi protulerunt. Eorum de hac re sententias exponendo denuo perspicue cognoscemus connexionem, quae est Pascalio cum Cartesio.

Notum est, quantam vim in ceteras omnes disciplinas illis temporibus habuerint scientiae mathematicae. Illa magna pulcherrimarum certarumque doctrinarum serie animi hominum tunc viventium adeo capti sunt, ut ceteras omnes disciplinas florere atque progredi non posse putarent, nisi methodus, qua scientiae mathematicae utuntur, etiam in iis adhiberetur. Haec omnium scientiarum formae exemplar habebatur. Eidem sententiae se adjungit Cartesius, qui, jam a puero disciplinis mathematicis deditus, ob certitudinem atque evidentiam rationum, quibus nituntur, iis praecipue delectabatur [1]; ad earum exemplar ceteras omnes scientias formandas esse censet. Et in magna illius methodi aestimatione Pascalius Cartesium sequitur. Quanti eam faciat, ex illis non paucis fragmentorum Pascalianorum locis cognoscimus, quibus ipse methodi, qua geometria utitur, naturam

[1] de methodo I.

delineare studet. Persuasum habet, ei, qui demonstrationes perfectas reddere velit, rationem, qua geometrae omnes veritates demonstrant, sequendam esse; nec minus eum, qui viam ostendere constituat, qua firmae demonstrationes efficiantur, in illam oculos conjicere illamque exponere oportere judicat [1]. Ut uno verbo dicam, sicut demonstrationes geometricas perfectarum demonstrationum exemplar habet, ita etiam ei, qui perfectam demonstrandi rationem exponere velit, geometricarum demonstrationum rationem exponendam esse censet. Attamen qui in memoriam sibi revocat quae de illis aliis Pascalii nostri studiis compluribus commentationis nostrae locis a nobis dicta sunt, jam suspicabitur, illam methodi geometricae laudem, in qua hic vir cum Cartesio consentit, non ita accipiendam esse, quasi in omnium rerum inquisitione nos hanc demonstrandi rationem adhibere omnesque res more geometrico demonstrare possimus. Vere aliud sentit Pascalius, quod cum propria ejus natura, quam jam supra exposuimus, arctissime cohaerere cognoscemus. Toto animo res, quae ad religionem et mores hominum pertinent, amplectitur; harum rerum inquisitio multo majoris momenti ei esse videtur quam scientiae mathematicae vel physicae, quas, quantiscunque inventis splendeant, tamen ad ea tantum pertinere judicat, in quibus vera hominum vita non consistat. Omnes autem illas res, quae ad religionem hominumque mores spectant, more geometrico investigari atque demonstari posse Pascalius negat; in harum rerum inquisitione methodum geometricam non ubique adhiberi posse multis locis illius libri, qui inscribitur „pensées" affirmat. Aliam atque diversam rationem praeter illam exponit; a methodo geometrica, quam vocat „esprit de geometrie," eam rationem distinguit, quam appellat „esprit de finesse." Hac sola res, quae spectant ad religionem et hominum mores, observari atque indagari posse judicat. Sed ipsum Pascalium de illa alia inquirendi ratione loquentem faciamus. Geometras, ait [2], claris perspicuisque geometriae principiis occupatos

---

[1]) cf. commentationem Pascalianam, quae inscribitur: „l'esprit géometrique" (pensées p. 556) L'art de démontrer les vérités déjà trouvées et de les éclaircir de telle sorte que la preuve en soit invincible, est le seul que je veux donner; et je n'ai pour cela qu'à expliquer la méthode que la géométrie y observe; car elle l'enseigne parfaitement par ses exemples, quoiqu'elle n'en produise aucun discours. — Ib. De la méthode des démonstrations géometriques c'est-à-dire methodiques et parfaites. — Je ne puis faire mieux entendre la conduite qu'on doit garder pour rendre les démonstrations convaincantes, qu'en expliquant celle que la géométrie observe.

[2]) pensées p. 203. Ce qui fait que des géomètres ne sont pas fins, c'est... qu'étant accoutumés aux principes nets et grossiers de géometrie, et à ne raisonner qu'après avoir bien vu et manié leurs principes, ils se perdent dans les choses de finesse, où les principes ne se laissent pas ainsi manier. On les voit à peine, on les sent plutôt qu'on ne les voit; on a des peines infinies à les faire sentir à ceux qui ne les sentent pas d'eux-mêmes: ce sont choses tellement délicates et si nombreuses, qu'il faut un sens bien delicat et bien net pour les sentir, et juger droit et juste selon ce sentiment, sans pouvoir le plus souvent les démontrer par ordre comme en géométrie, parce qu'on n'en possède pas ainsi les principes, et que ce serait une chose infinie de l'entreprendre. Il faut tout d'un coup voir la chose d'un seul regard, et non pas par progrès de raisonnement, au moins jusque un certain degré. Et ainsi il est rare que les géomètres soient fins, et que les fins soient géomètres, à cause que les géomètres veulent traiter géométriquement ces choses fines, et se rendent ridicule, voulant commencer par les définitions et ensuite par les principes, ce qui n'est pas la manière d'agir en cette sorte de raisonnement. Ce n'est pas que l'esprit ne le fasse; mais il le fait tacitement, naturellement et sans art, car l'expression en

atque hujusmodi tantum principia argumentationibus pro fundamento ponere assuefactos, in illarum rerum subtilium disquisitione, quarum principia hoc more geometrico tractare non liceat, versari non posse. Claras atque distinctas illarum rerum notiones a nobis formari non posse, sed potius ad eas nos obscura quadam atque confusa cognitione pervenire; et non sine magno labore, ut alii eas animadvertant, nos efficere posse; et tot tamque subtiles („fines") res esse, ut mente valde subtili praeditus sit oporteat qui eas deprehendere, atque, illa tam confusa atque obscura cognitione nixus, recte de iis judicare velit. Plerumque etiam fieri non posse, ut ratione geometrica hae res demonstrentur, quum non tam nota nobis sint earum principia quam illa geometrica; et in infinitum abituram esse rem. Uno quasi intuitu res esse perspiciendas illamque rationem, qua pedetentim ab uno ad aliud progrediamur, raro tantum adhiberi posse ... Sane mentem nostram etiam in hoc disquisitionum genere ratiocinationes facere, sed tamen non expresse, sed naturali atque simplici modo, quum hominis non sit, illas res verbis exprimere; non paucos etiam inveniri, quibus ne contingat quidem, ut eas attingant atque animadvertant. Breviter complectimur quae ab ipso Pascalio de illis diversis inquirendi res rationibus ubiore quodam modo sunt exposita. Qui methodo geometrica utuntur claras distinctasque definitiones atque principia bene perspecta pro fundamento disquisitionum ponunt, pedetentimque inde progredientes omnes singulas propositiones illo fundamento fulcire atque exacto perfectoque modo demonstrare student. Qui autem illam alteram rationem sequuntur, neque tam claris distinctisque notionibus res definiunt neque a principiis tam bene perspectis initium faciunt neque tam accurate omnia demonstrant neque paulatim ab uno ad aliud procedunt. Hoc igitur loco, quae jam supra significavimus, perspicue atque perfecte cognoscimus, Pascalium nostrum, quamvis illam priorem methodum in scientiis mathematicis physicisque adhibendam esse, eamque rationis, qua scientiae tractandae sint, verum exemplar esse aestimandam, ubique contendat, tamen non minus certum habere, in aliarum rerum disquisitione hac altera sola ratione nos recte progredi. In quarum rerum numero referuntur illae, quae ad religionem et hominum mores pertinent. Denique etiam hoc iterum commemoremus, non minus quam ex aliis rebus ex hac elucere, quanti momenti fuerint in doctrina Pascaliana Cartesii cogitationes. Etiam in hac parte illius doctrinae philosophiae Cartesianae vis deprehenditur. Ipse Cartesius illis temporibus methodum geometricam summis laudibus extulerat; permagnam hujus methodi aestimationem etiam apud Pascalium invenimus; non est dubium, quin ad eam multum contulerit studium philosophiae Cartesianae. Sed omni ex parte Pascalius Cartesio hac in re se adjungere non potest; ut in tot aliis rebus ita etiam

passe tous les hommes, et le sentiment n'en appartient qu'à peu d'hommes. Et les esprits fins, au contraire, ayant ainsi accoutumé à juger d'une seule vue, sont si étonnés quand on leur présente des propositions où ils ne comprennent rien, et où pour entrer il faut passer par des définitions et des principes si stériles, qu'ils n'ont point accoutumé de voir ainsi en détail, qu'ils s'en rebutent et s'en dégoûtent.

hac in re partim Pascalium consentire cum eximio populari suo partim ab eo dissentire invenimus. Cartesius, rebus mathematicis atque physicis maxime occupatus atque summa, quam afferebat illis scientiis methodus mathematica, utilitate captus, hac ratione ceteras omnes res tractandas esse censet; Pascalius permagni quidem aestimat methodum mathematicam; sed eam ubique adhiberi posse negat; in religionem hominumque mores maxime mente conversus, nobis contingere non posse, ut illa methodo etiam in harum rerum inquisitione utamur, judicat, aliamque viam nobis monstrare studet, qua sola in iis indagandis nos progredi posse contendit.

Jam, commilitones, ad finem disquisitionum nostrarum pervenimus. Connexionem exponendo, quam habet Pascalius cum Cartesio, hoc velim effecerim, ut et magis viva et clarior vobis reddita sit illius celeberrimi viri imago. Spero fore, ut mox alio loco de ratione disseram, quae est Pascalio cum Epicteto et Montagnio, ubi accuratius eas cogitationes, quas Pascalius de interiori hominis statu et de religionis christianae natura proposuit, exponam; in hac dissertatione parvam tantum harum rerum partem leviter attingere mihi licuit.

L. Gerkrath.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiae secundi aevi tradet excepto die Lunae quotidie h. XI—XII.
II. De jure ecclesiastico tractare perget diebus Martis et Veneris h. VI—VII.

Dr. Mich. Krüger, P. P. O.

I. Evangelium secundum Marcum synoptice explicabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IX—X.
II. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit diebus Martis Jovis et Saturni h. IX—X.
III. Barnabae epistolam catholicam explicabit bis per hebdomadem hora definienda.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologetices partem reliquam tradet diebus Lunae et Jovis h. II—III et die Veneris h. X—XI.
II. De universorum creatione et de angelorum hominumque lapsu disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. X—XI.
III. Repetitiones dogmaticas instituet die Saturni h. X—XI.

Dr. Ant. Pohlmann, P. P. O. des.

I. Theologiae moralis partem reliquam tradet ter per hebdomadem h. VIII—IX.
II. Jobi librum interpretabitur ter per hebd. h. VIII—IX.
III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Aeschyli Agamemnonem interpretabitur aut Euripidis Iphigeniam Tauricam ter per hebd. h. IX—X.
II. Quintiliani institutionis oratoriae locos selectos explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis per hebdomadem hora IX—X.
III. Historiae literarum Graecarum et Romanarum conspectum tradet bis per hebd. horis definiendis.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebd. hora definienda.

Dr. Laurentius Feldt, P. P. O.

I. Exercitationes geometricas moderabitur et librum cl. Mascheroni „Géometrie du Compas" illustrabit diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

II. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniadecki's sphärische Trigonometrie etc. übersetzt von Dr. L. Feldt tradet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.

III. De Newtoni gravitationis universalis principio disseret semel per hebdomadem.

IV. Geographiam mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Jovis hora II—III.

Dr. Joan. M. Watterich, P. P. O. des.

I. Historiam medii aevi tradet quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. matutina VIII—IX.

II. Investiturae certaminis historiam exponet bis per hebd. diebus Mercurii et Saturni h. matutina VIII—IX.

Dr. Ludovicus Gerkrath, P. P. E. des.

I. Logicam docebit quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora VI—VII.

II. Philosophiae inde a Kantio usque ad Hegelium historiam exponet bis per hebdomadem diebus Martis et Jovis hora V—VI.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, diebus Martis et Veneris hora II—III commilitonibus patebit.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

Stipendium Scheillio-Bussianum.

De Gregorii I in nationum occidentalium culturam meritis e commilitonibus unus tantum obtulit libellum, inscriptum illis sancti Pauli I Cor. 9, 22. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. — Qui argumentis laudabili cum diligentia conquisitis satisque apte dispositis, conspicua quadam cum sermonis facilitate thema propositum ita pertractavit, ut Ordo Theologorum eum praemio dignum jure pronuntiarit.

Resignata scheda prodiit nomen:

Josephus Krause, Stud. Theol.

Pro novo certamine litterario Ordo Theologorum commilitonibus hancce proponit quaestionem:

Liturgia vetus Constantinopolitana comparata cum vetere Romana, quae S. Gregorii nomine fertur.

Praemium constitutum est XXV Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum erit d. 1. Januar. MDCCCLXIV.

P. P. in Lyceo Regio Hosiano Brunsbergensi d. 22. Mart. MDCCCLXIII.